Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 545
Quelle:
Copyright:

mortis conficere aliquid. Praemiſerat ille Librum *de Anima*, unde initium noſtrum ex edit. *Maur.* T. I. *Opp. Pariſ.* 1686. *col.* 389. f. ita reſtaurandum: *Quoniam de Anima ſuperiore libro — contexuimus* &c. Definit Codex in haec verba: *et invenit viventem apud viventem.* Itaque pauca deſunt, et per decurſum Textus cum Edit. *cit.* probe conſentit.

CLXXXVI. VII B 6

83 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 213. f. per duas columnas nitide ſcriptus et rubricatus continet I. Partem Exegeticorum Origenis in Pentateuchum hoc titulo charactere quadrato praefixo: *Adamantii. Senis. Qui. Et. Origenes. In. Pentateucum. Omelię. Interpretante. Sancto. Jheronimo. Presbitero* (potius *Rufino*, vide *Dan. Huetii Origeniana* L. III. c. 2. *ſect.* 3. *n.* 1.) *De. Greco. In. Latinum. In. Geneſin. XVI. Omelie.* Initium: *In principio fecit Deus cęlum et terram. Quod eſt omnium principium? niſi dominus noſter et ſaluator omnium Jheſus Chriſtus primogenitus omnis creaturę?* &c. Finis Homiliae XVI. *Et Deus erit ſemper nobiſcum. per iheſum chriſtum dominum noſtrum.* Deeſt itaque Homilia XVII. quam vide ſis T. II. *Opp. omn. Orig. Pariſ.* 1733. p. 105. Cum hac editione Textus noſter plurimum concordat, ſi vel ipſa *Lemmata* Homiliis praefixa ſpectes.

A *Fol.* 124. p. 2. *Incipiunt In Exodum Omelie. Tredecim.* praemiſſis omnium Argumentis. Initium primae eſt: *Videtur mihi unusquisque ſermo ſcripturę diuinę ſimilis eſſe alicui ſeminum* &c. Non deeſt hinc inde lectionis varietas; ita initium *Hom.* VI. *Multa quidem cantica* fieri *legimus in ſcripturis divinis*, melius legit Noſter: *referri legimus.* Sub finem *Hom.* XI. nobis deſunt illa verba: *ſicut et in oratione dicere jubemur*: *Adveniat regnum tuum.* Finis *Hom.* ultimae: *et componere. atque ex his adornare tabernaculum deo iacob. Per chriſtum. d. n.* &c.

A *Fol.* 148. p. 2. *Incipiunt omelię in leuiticum.* XVI. Praemittuntur argumenta ſingularum. *Prima* ſic infit: *Sicut in nouiſſimis diebus uerbum dei ex Maria carne ueſtitum proceſſit* &c. Sed *Tertia* pene in medio ad illa uerba: *Cum infirmor, tunc potens ſum*, abrumpitur, ultimis 18. lineis jam recentiore manu adſcriptis. Vide et *Cod.* ſeq.

II. a *Fol.* 153. p. 2. habetur ſine Titulo et nomine Autoris *Sermo de Nativitate et Divinitate J. C.* qui incipit: *De illa occulta habitatione ſua egreſſus eſt filius dei. Excellentiſſimum et dulciſſimum illud ſancti ſpiritus organum beatus Gregorius romane ſedis epiſcopus et uniuerſalis eccleſie pontifex ſummus deſiderans noſtros animos ad extollendas laudes huius ſanctiſſime natiuitatis accendere* &c. In fine mutilus eſt, definitque in haec